

non attendunt DD. num. preced. citati, eod quod, etsi Irnerius illa verba addiderit, merito, & Juri conformiter id fecerit; cum vir & uxor, pater & mater sint correlativa, consequenter, quia in Novell. 117. cap. 7. constitutum est, ut patre dante causam Divortii, proles educantur expensis ejusdem; correlatio requirit, ut causam Divortii dante matre, hujus saltem locupletis expensis educantur.

105 Limitatur tamen per Doctores n. 103. citatos Conclusio I. Si innocens sit infidelis; tunc enim apud matrem dantem Divortii causam educandae erunt proles, c. fin. de Convers. Infidel. II. Si patre dante causam Divortii mater postea transit ad secundas nuptias, proles educandae eidem non relinquantur cit. Auth. Si pater. C. Divortio facto, & Novell. 117. cap. 7. ibi: Apud matrem ad secundas nuptias non venientem. III. Si nocente existente matre, pater ad educandam minde idoneus sit, textu claro in cit. Auth. & N. null.

106 De amissione Dotis, & aliorum tanquam effectu Divortii, dicitur Tit. seq.

TITULUS XX.

De Donationibus inter virum, & uxorem: & de Dote post Divortium restituenda.

1 Ratio continuationis: Judex Ecclesiasticus incidenter cognoscit de causa Dotis.

Causam, sententiamque Divortii, plerumque comitatur lis, & questio de restituenda Dote, vel donatis propter nuptias. Hinc precedentem Titulum ordinat sequitur praesens. Et quamvis haec materia principaliter pertineat ad Civiles, qui de ea ex professio tractant ff. h. t. Nihilominus, quia de eadem materia per modum causae incidentis, & questionis accessoriae judicare potest, & debet Judex Ecclesiasticus textu claro de prudentia. 3. h. t. ibi: Vos, qui de Matrimonio principaliter cognovistis, & de Dote (quae est causa incidens) accessorie cognoscere valuistis, & sententialiter, desinite. De eadem etiam Canonistis notitia necessaria est.

§. I.

De Donationibus inter virum, & uxorem.

SUMMARIUM.

- 1 Donatio inter virum, & uxorem quid?
- 2 Gravis facta est invalida.
- 3 Non item remuneratoria.
- 4 Nec illa, ex qua donans non sit pauperior.
- 5 Ex qua Donatione censetur donans fieri pauperior.
- 6 Et ex qua non?
- 7 Valet etiam Donatio, ex qua donatarius conjux non sit locupletior.
- 8 Donatio inter virum, & uxorem invalida habet aliquos saltem effectus; & quos?
- 9 Donatio inter conjuges in pluribus casibus valet.
- 10 Praesertim inter Principes personas.
- 11 Enumerantur alii casus, in quibus valet donatio inter virum, & uxorem, usque ad n. 19.
- 12 Donatio inter conjuges invalida confirmatur morte donantis.
- 13 Moriente autem donatario ante donantem evanescit.

- 21 Non confirmatur Donatio morte donantis, si hic eam in vivis expressè vel tacite revocavit. Quomodo censetur tacite revocari? Ibid. & duobus num. seqq.
- 22 In dubio non censetur revocata donatio.
- 23 Potest etiam ipsa revocatio iterum revocari.
- 24 Donatio a marito uxori invalidè facta, confirmatur etiam morte civili mariti.
- 25 Non item facta ab uxore marito.
- 26 Si maritus sit servus hominis, non confirmatur Donatio: bene autem si sit servus pauper.
- 27 Stante morte civili potest maritus revocare Donationem.
- 28 Excepta morte civili per professionem Regulae S. Francisci.
- 29 Secus est de Professione alterius Religionis.
- 30 Donatio 500 solidos excedens, morte non confirmatur, nisi prius fuerit Judici insinuata.
- 31 Donatio confirmata juramento de non revocando valet.

Quaeritur I. Quid ad praesens sit donatio inter virum, & uxorem? quid juris de ea, praesertim an valeat, vel saltem aliquem effectum habeat? Resp. I. Est illa, quae vir uxori, aut haec illi gratis, & ex mera liberalitate aliquid durante Matrimonio donat. Ita in re communis, arg. tot. h. t. & C. ff. eod.

Resp. II. Regulariter, ac de Jure communi loquendo, omnis donatio inter virum & uxorem gratis, meraque ex liberalitate facta, invalida est, & ad nutum donantis revocari potest, si ex illa donans sit pauperior, & donatarius locupletior. Unanimis & certa, ob clara jura c. fin. h. t. ibi. Donatio, quae consistit Matrimonio inter conjuges dicitur esse facta, ex qua alter locupletior, & alter pauperior efficitur, firmitatem non habet, nisi donatoris obitu confirmetur: quae tamen penitus evanescit, si revocetur ab eo tacite vel expresse, vel qui donatum accepit, prius debitum naturae absolvat. & l. 1. ff. h. t. ibi: Moribus apud nos receptum est, ne inter virum & uxorem donationes valeant. Ratio subiungitur illis verbis: hoc autem receptum est, ne mutuo amore invicem spoliantur, donationibus non temperantes, sed prosalva erga se facilitate &c.

Dicitur autem notanter primo, gratis & ex mera liberalitate facta, quia si sit remuneracionis causa, ob praeserta obsequia alias ordinariè inddebita, & quae ab aliis ejusdem conditionis conjugibus, in similibus circumstantiis communiter fieri non solent, omnino valida est, & subsistit, prout cum communi bene docet Sanchez lib. 6. disp. 6. n. 11. Menoch. de Arbitrar. judic. casu 132. n. 4. Abb. in c. fin. h. t. n. 7. & alii. Ratio est; quia donatio remuneratoria proprie donatio non est juxta dicta lib. III. Tit. XXIV. n. 3. mg. l. 1. & 27. ff. de donat. Accedit, quod per tales donationes remuneratorias excitentur, & stimulentur conjuges ad obsequia etiam extraordinaria mutuo sibi invicem praestanda; ob quae sane expeditis omnino videtur, ut tales donationes remunerariae valeant.

Dicitur secundo, ex qua donans sit pauperior, & donatarius locupletior; unum enim horum si deficit, donatio subsistit, arg. cit. c. fin. h. t. & l. sed & si ff. h. t. ibi: N. m. jus constitutum ad eas donationes pertinet, ex quibus & locupletior mulier, & pauperior maritus in suis rebus sit. Concordat l. cum his. 34. §. 9. l. si cum 50. §. 1. ff. eod. Censetur autem pauperior fieri donans, si ejus substantia actu habita diminuitur, rem item, si conjux in gratiam alterius non acceptat, quod acquirere potest, repudiando v. g. haereditatem, aut legatum, ut alter conjux subsistens succedat, textu

- 6 textu expresso l. si sponsus. §. 5. §. 13. & 14. ff. h. t.
- 7 Consetur in super donans fieri pauperior, si alteri remittat debitum, vel etiam donando remittat pretium pro re, quam donans conjux alteri vendidit, cit. l. Sponsus §. 5. ff. h. t. Item, si donatio fiat ante Matrimonium cum conditione, ut contracto Matrimonio primùm habeat effectum, l. cum hic. 32. §. 22. ff. h. t. quia idem est, aliquid fieri tempore inhabili, & in tempore inhabile conferri, l. in tempus. ff. de hered. instit. Censetur item pauperior fieri, & consequenter donatio invalida esse, etsi fiat per tertium, dum maritus v. g. dat Titio, ut donet uxori, textu expresso cit. l. si sponsus. §. 5. §. 2. ff. h. t.
- 8 Econtra pauperior non fit maritus, si uxori quid donat, ut comptor, & ornator incedat; eod quod sua potius, quam uxoris causa dedisse censetur, l. si ut certò. §. 5. interduum. ff. commodati. Item pauperior fieri non censetur uxor, si donationem faciat viro ad consequendam dignitatem l. Nuper. 42. ff. h. t. talis enim donatio in commodum ipsius uxoris redundat; hoc ipso, quod ex dignitate viri, eidem etiam honor accedat, feminis enim dignitatem clarissimam marito tribuunt, l. Fomina. §. ff. de Senator. Pariter pauperior donando fieri non censetur, si conjux alteri rem alienam donet, l. sed & si. 25. ff. h. t. quod fieri posse constat ex dictis Lib. III. Tit. XXIV. n. 20.
- 9 Porro, etiam si donans conjux pauperior fiat donando, si tamen exinde locupletior non fiat donatarius, valet donatio juxta communem & certam, textu expresso cit. c. fin. h. t. l. sed & si 25. ff. h. t. & l. si sponsus. §. 5. §. 16. ff. eod. ibi: Ubicumque igitur non diminuit de facultatibus suis, qui donavit, valet: vel etiam si diminuat, locupletior tamen non fit, qui accepit, donatio valet. Hinc valet, si maritus uxori servum donet, ut manumittatur, textu expresso l. quod autem 7. §. fin. ff. h. t. Item valet, quod seputura causa aut ad faciendam elemosynam, aut emendam rem familiarem donatur, cit. l. si sponsus. §. 5. §. 8. ff. h. t. & l. 7. §. si maritus. ff. eod. & l. sed si vir. 31. §. 9. & 10. ff. eod. plures hujusmodi casus, in quibus ex donatione unius locupletior non fit alter conjux, & consequenter donatio subsistit, vide in toto Tit. ff. h. t. Rubr.

Resp. III. Quamvis donatio simplex, seu gratis & ex mera liberalitate, facta inter virum & uxorem sit invalida juxta dicta; tamen non caret omni effectu. Communis, & patet: tum quia morte donantis confirmatur, juxta dicenda, arg. c. fin. h. t. Tum quia transit in donatarium saltem possessio, utpote quae facti est, arg. l. 1. §. 4. de Acquirend. & de admittend. possess. Tum etiam, quia donatarius seipsum acquirat fructus, quos sua industria ex re donata accepit, l. de fructibus 17. ff. h. t.

Quaeritur II. In quibus casibus valet? vel saltem confirmetur donatio inter virum, & uxorem? Resp. Pari plures casus, in quibus talis donatio valida est. Daret inductione. Sic enim I. valet inter eos donatio remuneratoria juxta dicta num. 4. II. Si ex donatione donans non est factus pauperior, juxta dicta n. 5. III. Si donatarius non est factus locupletior, n. 8.

IV. Valet Donatio inter conjuges Principes supremos, & Comes Imperii, Tiraquel. tr. de Nobilit. cap. 37. num. 45. Sanchez lib. 6. disp. 3. num. 1. arg. l. penult.

V. Valet gratuita concessio in rebus suis, sicut usus servorum, animalium, vestimentorum & similia, textu expresso l. si vir uxori 18. ff. h. t.

VI. Valet donatio facta ad reficiendas aedes dotales, l. quod si vir 14. ff. h. t.

VII. Valet donatio facta, causa exilii, vel alterius Reiffenstuel Jus Can. Tom. IV,

ponae, bonorum confiscationem secum trahente l. Si mors. 43. §. 1. ff. h. t. & l. 47. ff. eod. ibi: Inter virum & uxorem exili causa donatio fieri potest.

VIII. Valet donatio, quae vit remitti uxori usuras dotis, conventionione debitas l. vir uxuras. 54. ff. h. t.

IX. Valet inter virum & uxorem donatio exigui pretii, Barbosa in c. fin. h. t. nu. 17. arg. l. ex annuo. 15. l. Sed si vir. §. Si vir ff. h. t. à sensu contrario. Accedit consuetudo optima legum interpret l. 37. ff. de legib.

X. Valent donationes mutuae, saltem quando una alteram notabiliter non excedit, l. quod autem. 7. §. 2. ff. h. t. ibi: si vir & uxor, qui invicem sibi donaverint &c. velle placuit, compensationem fieri donationis. Accedit, quod in casu mutuae donationis nullus conjugum locupletior fiat aut pauperior; & quod modicus excessus unius non attendatur juxta dicta n. praeced.

XI. Valet inter virum & mulierem Donatio mortis causa à textu expresso, l. si cum. 9. §. fin. h. t. ibi: Inter virum & uxorem mortis causa donationes receptae sunt. Ratio subiungitur l. 10. ff. eod. quia in hoc tempore currit donationis effectus, quo vir, & uxor esse desinunt. Interim tamen res non statim fiunt ejus, cui donatae sunt, sed tunc demum, cum mors insecuta est. Medio igitur tempore dominium remanet apud eam, qui donavit, prout his terminis statuitur illicò seq. l. sed interim. 11. prin. ff. eod. Porro quid sit donatio mortis causa, vide Lib. III. Tit. XXVII. n. 688.

Quaeritur III. An, & quando donatio inter virum ac uxorem ab initio invalida confirmetur, & valida evadat? Resp. I. Talis donatio invalida confirmatur imprimis, & valida evadit morte donantis, si eam in vivis tacite, vel expresse non revocavit. Unanimis & certa, claris Juribus c. fin. h. t. ibi: Firmitatem non habet, nisi donatoris obitu confirmetur. Concordat l. cum hic. 32. §. 2. & l. si stipulata. 23. ff. h. t. l. 1. & 3. C. eod. Ratio est; quia si donans usque ad mortem donationem alteri conjugi factam non revocet, censetur velle, ut donatarius rem donatam capiat quasi ex donatione, aut alia dispositione mortis causa. Accedit, quod moriente donante cessat finis legis, periculum nempe mutuae depaupertatis ex mutuo affectu &c.

Dicitur autem notanter, morte donantis; quia morte donatarii neutiquam confirmatur, sed penitus evanescit, textu expresso cit. cap. fin. h. t. ibi: quae tamen penitus evanescit, si &c. qui donatum accepit, prius debitum naturae persolvat, & l. Cum hic status. 32. §. 12. ff. eod.

Dicitur notanter, si eam in vivis tacite, vel expresse non revocavit; hoc enim si fiat, donatio morte donantis non confirmatur, led evanescit, textu claro cit. c. fin. h. t. ibi. quae tamen penitus evanescit, si revocetur ab eo tacite, vel expresse, & l. cum hic status 32. §. 2. ff. eod. Potest autem revocatio Tacite fieri variis modis, veluti, Primò, si donans rem prius conjugi donatam postea alii donet, leget, aut vendat, pignori aut hypothecae subjiciat, arg. l. cum hic status. 32. §. 5. & §. 15. ff. h. t. ibi: Si maritus ea, quae donaverat, pignori dedit, utique cum penitus dicemus, & l. si maritus. 12. C. eod. ibi: Cum sit manifestum, etiam donatione, vel venditione, vel alio quolibet modo rebus alienatis revocatum esse à viro in mulierem factam donationem, per generalem hypothecam verò omnium bonorum tacite revocata non censetur donatio. Sanchez lib. 6. disp. 15. n. 5. arg. l. si maritus 12. C. h. t. ibi: si specialiter obligavit.

Secundo Donatio tacite revocatur per divorcium;

tium; nisi Matrimonium denuo inter eos reintegretur, & divorcium tollatur; aut nisi expresse donans velit, ut divorcium factum non obstat donationi facte. l. cum hic status, 32. §. 10. & 11. ff. h. t.

23 Tertio Donatio tacite revocari censetur, si contra mores male mutasset in praedictum donantis, adulterando v. g. aut insignem ingratitudinem exhibendo, Sanchez loc. cit. num. 11. arg. l. fin. C. de donat. & c. fin. de donat. Item Tacite revocatur per graves inimicitias inter virum & uxorem, Sanchez loc. cit. n. 23. arg. l. cum hic status 32. §. 10. ff. h. t.

24 Porro in dubio, an donans tacite vel expresse revocaverit Donationem conjugii factam, praesumendum est, non esse revocatum, cit. l. cum hic status, 32. §. 4. ff. h. t. ibi: Si appareat, defunctum evidenter revocasse voluntatem; quod, si in obscuro sit, proclivior esse debet iudex ad comprobendam donationem.

25 Valet insuper non obstante revocatione expressa donatio post mortem donantis, si factam revocationem denuo revocavit aut donationem innovavit, cit. l. cum sit status. §. 3. ff. h. t.

26 Resp. II. Non tantum naturali, sed etiam civili morte donans mariti donatio, uxori prius invalide facta, confirmatur; veluti si maritus in exilium mittitur, aut deportatur &c. Sanchez lib. 6. disp. 17. num. 3. Sylvester y. donatio 2. q. 4. cum communi aliorum contra Glossam. c. l. ubi undique, in fine. de Offic. Delegat. arg. l. sed si mors. 13. §. 1. ff. h. t. & l. Res uxoris. 24. C. h. t. ubi in simili etiam donatio mortis causa confirmatur. Ratio conclusionis est; quia mors naturalis & civilis aequiparantur, quando utraque eundem effectum quoad bona habet, ut bene advertit Glossa in Clement. 2. y. moriente. de elect. Abbas in c. Nisi essent. de praed. n. 11.

27 Dicitur autem notanter in Conclusionem, donatio facta uxori; quia si fit ab uxore marito, morte civili donantis non confirmatur, ut l. c. n. 6. bene advertit Sanchez; quia Jura speciale privilegium & favorem conferre voluerit uxoris pudicitiae, arg. cit. l. Res uxoris. C. h. t.

28 Limitatur etiam Conclusio in casu mortis civilis, quo maritus evadit servus hominis; tunc enim non confirmatur Donatio, sed evanescit, textu expresse l. cum hic status. 32. §. 6. ff. h. t. Secus est, si fit servus poenae, ut si condemnatur ad metallum v. g. arg. l. Res uxoris. C. h. t. juncta Glossa ibidem. v. deducto.

29 Illud etiam notandum, quod non obstante sua morte civili possit adhuc revocare donationem maritus (excepta professione in Ordine Fratrum Minorum) arg. l. sed si mors. 13. ff. h. t. & l. res uxoris. 24. C. eod. Et, si revocat, pertineat res donata ad eundem, non ad Fiscum, eo quod in publicatione bonorum resita donatae non comprehendantur, Jafon, in l. si stipulatus fuerm. §. cum stipulamur. ff. de V. O. Sanchez lib. 6. Disp. 17. n. 5. arg. l. si deputati servo. ff. de legat. 3.

30 Dicitur autem excepta professione in Ordine Fratrum Minorum; per hanc enim, si quis civiliter moritur, donatio conjugii facta, statim aequo confirmatur ac morte naturali, ita, ut amplius revocari nequeat; consequenter mortem illius naturalem expectare non fit necesse; ex eo, quia tam talis profertens, quam Religio est bonorum incapax, ut cum alius bene advertit Sanchez loc. cit. n. 9. Palao Tract. 32. Disp. 2. punc. 25. §. 3. n. 3.

31 Secus est in casu, quo quis profitetur Religionem bonorum capacem; tunc enim professus cum consensu Superiorum revocare potest Donationem prius factam, ut proin irrevocabiliter non firmetur, ut

quedam morte naturali decedat professus, Doctores citati cum Pirhing h. t. n. 20.

Resp. III. Donatio 500. solidos excedens nec 32 naturali, nec civili morte donantis confirmatur; nisi fuerit insinuata apud Judicem l. donationes. C. h. t. de hac donatione vide amplius Lib. III. Tit. XXIV. d. n. 14.

Resp. IV. Donatio inter virum & mulierem prius invalide facta, etiam per juramentum de non revocando confirmatur per ea, quae diximus Lib. III. Tit. XXIV. d. n. 33. ubi vide.

§. II.

De Dote, & Bonis Paraphernalibus: Item de Donatione propter nuptias seu Contradote & de Morgengeba, seu Morgentatica, ubi etiam de Sponsalitia Largitate, & Arrha.

S U M M A R I U M.

34 Dos quid?

35 Alia est profectitia, alia adventitia.

36 Dotem quisvis major 25. annis dare potest.

37 Pater tenetur filiae dare dotem.

38 Etiam si eam Matrimonio collocarit nulla facta mentione dotis.

39 Vel filia, infans, & invito patre digno tamen nupsit.

40 Secus, si indigno nubat.

41 Quinam censetur indignus?

42 Quid de hoc statuta Bavaria?

43 Causae exhereditandi sunt etiam causae dotem negandi.

44 Quantitas Dotis quo?

45 Si pater nequit dotare filiam, tenetur avus paternus.

46 Et horum defectu mater.

47 Quibus omnibus defunctis frater ex eodem patre.

48 Deservator quando tenetur? Remissive.

49 Fructus Dotis ad maritum pertinent.

50 Sicut etiam plenum dominium, ac libera dispositio, si Dos in re mobili consistit.

51 Vel in re immobili quidem, sed aestimata aestimatione faciente venditionem.

52 Secus, si inestimata tradatur.

53 Nisi mulier juratum det consensum, aut eum post biennium repetat.

54 Ordinarie loquendo, durante Matrimonio dos repeti, aut cautio pro eo exigi non potest.

55 Nisi maritus sua culpa ad inopiam vergat, & evidens ad sit periculum perendi Dotem.

56 In quo casu in arbitrio Judicis est, an cautionem uxori assignare, vel restitutionem Dotis adjudicare velit.

57 Si absque culpa sua vir ad inopiam vergit, Dotem reddere non tenetur.

58 Si bona mariti consistantur, uxor potest repetere suam Dotem.

59 Enarrantur aliae causae repetendi Dotem durante Matrimonio.

60 Bona Paraphernalia, seu Parapherna quae?

61 Horum nec dominium, nec fructus, nec dispositionem habet maritus; nisi in quantum uxor concedit.

62 Bona uxoris Receptitia quae? & quid Juris de illis?

63 Donatio propter nuptias, seu Contrados quid?

64 Hujus administratio, & fructus durante Matrimonio ad maritum pertinent.

65 Eam filio dare tenetur pater, ubi adhuc est in usu.

66 Morgengeba quid? Et quid Juris de ea?

67 De Jure non debetur vidua.

68 Eius administratio ad maritum, proprietates autem ad uxorem pleno jure pertinet, ita ut de ea etiam testari valeat.

69 De Arrha Remissive.

70 Sponsalitia Largitas quid?

71 Si culpa donatarum non sequitur Matrimonium, restitui debet donanti: si vero hujus culpa non sequitur, remanet illi.

72 Si nullius culpa civis restituitur suum, nisi est: uxor, aut copula fuerit secuta.

73 Plura de praefatis. Remissive.

annum 25. inficio patre, & invito nupsit indigno moribus aut genere. Sanchez lib. 4. Disp. 26. nu. 19. Layman loc. cit. nu. 4. Engel h. t. nu. 6. Haulboldus Tr. 4. cap. 5. Controu. 5. num. 382. arg. l. Non tantum. 3. §. 5. ff. de Bonorum poss. ff. contra tabul. Ratio est; quia non videtur aequum compellere patrem ad dotandam filiam, quae indecenti Matrimonio ipsius, & familiae decus denigravit. Vult tamen teste Hannoldo Constitutio Carolina in Comitibus Augustanis promulgata, ut filias ita nubentes exhaere dandi aut Dotem earum diminuendi non sit statim libera potestas parentibus, sed id Magistratus arbitrio relinquatur.

Censetur autem conjux indignus, cui alter Matrimonio copulari absque dedecore juxta mores Civitatis non potest. Sanchez lib. 4. Disp. 26. nu. 23. Menochius de praesumpt. lib. 4. Praesumpt. 189. nu. 25. in fine, arg. l. si adulterium cum incestu. §. Stuprum. ff. ad Leg. Jul. de Adulterio; ibi: Consummatio Juris, & sanguinis consummatio. Item, indignus censetur, qui est meliorum morum Sanchez loc. cit. n. 24. Menochius loc. cit. arg. l. sed ea. ff. de Sponsal. & l. nuptiae. C. de sup. ibi: Si pares sint genere & moribus. Item indignus est, notabiliter pauperior, vel habens impedimentum, Sanchez loc. cit.

Qui Statuta Bavariae habeant circa proles inficio, vel invito parente nubentes dignis, aut indignis, vide supra Lib. III. Tit. XXXI. §. 15. n. 523.

Limitatur conclusio secundum in omnibus casibus, in quibus pater filiam potest exhereditare; cum enim Dos substituitur Legitimae, & in eam imputatur, l. quoniam. 29. C. de inst. Testam. propter quascunque causas sita exhereditari, etiam Dote privari possit, Sanchez l. 4. Disp. 26. n. 1. cum communi aliorum. Quae enim autem sint causae exhereditandi liberos, vide supra Lib. III. Tit. XXXI. §. 15.

Ceterum quantitas Dotis constituenda est juxta consuetudinem loci, dignitatem filiae, & facultates donantis, ut bene observat Layman loc. cit.

Resp. IV. Si pater dotare nequit filiam, tenetur id praestare Avus paternus; arg. l. Dotem. 6. ff. de Jure Dotium. Et quidem aut Matrem, prout cum plerisque Juristis docet Hannoldus Tr. 4. cap. 5. Controu. 5. n. 386. arg. l. Neque mater. C. de jure dot.

Resp. V. In defectu patris, Avique paterni, & accedente causa urgente, v. g. incontinentia filiae tenetur Dotem assignare Mater, nisi filia habeat propria bona, arg. cit. l. Neque mater. 14. C. de Jure Dotium, ibi: Neque mater pro filia dotem dare cogitur, nisi ex magna & probabili causa, vel leg. specialiter expressa: Neque pater de bonis uxoris sua invicem ullum dandi habet facultatem.

Resp. VI. In defectu omnium praefatorum sororem ex patre dotare tenetur frater. Hannoldus loc. cit. nu. 389. Layman lib. 3. tr. 4. cap. 12. num. 5. Palao cum communi aliorum, arg. l. Cum plures. 12. §. 3. ff. de Administrat. & pericul. Tut. hoc ipso enim, quod ibi statuitur, fratrem non teneri dotare sororem ex alio patre natam, seu tantum uterinam, a sensu contrario bene inferitur, eum tenere ad dotandam sororem eodem patre natam in defectu praefatorum. Unde refert Layman loc. cit. cum aliis, quod sicut Clericus alere de redditibus Ecclesiasticis inopem sororem etiam ita etiam dotare possit, cum causa dotis non minus sit favorabilis, quam causa alimentorum.

Resp. VII. Deservator tenetur etiam dotare defloratam, juxta dicta supra Tit. I. §. IV.

Queritur II. Ad quem pertinet dominium fructus, & dispositio Dotis jam collatae? Resp. I. Fructus Dotis ad maritum spectare, indubitatum est: textus expressus habetur l. dotis fructum. 7. ff. de jure Dotium, ibi: Dotis fructum ad maritum pertinet.

34 Queritur I. Quid, & quotuplex sit Dos? Item quis eam dare possit, aut teneatur? Resp. I. Dos ad propositum est certa pecuniae quantitas, seu alia res mobilis vel immobilis, quae ab uxore, seu sponsa, vel alio ejus nomine, causa nuptiarum datur marito ad onera Matrimonii sustinenda; ut videlicet ex ejus fructibus uxorem, & familiam facillius alere possit; vocatur nostra vernacula Heuragium. Ita in re communis, arg. toto Tit. ff. & C. de Jure Dotium. Nec indiget definitio declaratione.

35 Dividitur autem in profectitiam, & adventitiam. Profectitia est quae a patre, vel ab alio ascendente paterno filiam in potestate habente, vel ab alio intuitu tamen patris datur, l. Profectitia. §. ff. de Jure Dotium. & l. un. C. de Rei uxoriae act. Adventitia est, quae nec a patre, nec ab ascendente paterno, sed ab alio, absque intuitu parentis datur, l. un. §. Accedit. C. de rei uxoriae act.

36 Resp. II. Dotem dare potest non tantum uxor seu sponsa de suis bonis, sed etiam quisvis alius pro illa. Caret controversia, arg. l. promittendo. 14. ff. de jure Dotium. ibi: Promittendo dotem omnes obligantur, cuiusvisque sexus aut conditionis sint. Dammodo sit major 25. annis, l. fin. C. ad S. C. Velleian. ibi: generaliter sancimus, ut si quis major 25. annis, sive masculus sive femina dotem pollicitus est, vel sponserit pro qualibet muliere, cum qua Matrimonium licitum est, omnino compellatur suam confessionem adimplere.

37 Resp. III. Pater tenetur Dotem dare filiae, communis est; certa, textu claro l. fin. C. de Dotis promissione, ibi: Neque enim leges incognite sunt, quibus cautum est, omnino paternum esse officium dotem vel ante nuptias donationem pro sua dare progeniti. Concordat l. 19. ff. de Ritu nupt. Et quidem de propriis, non de ipsius filiae bonis, nisi gravi inopia laborets, ut ibidem decidit Imperator.

38 Praecedit Conclusio, etiam si pater filiam Matrimonio collocaverit nulla facta mentione Dotis. Sanchez lib. 4. disp. 26. nu. 3. Abbas in c. l. de Sponsalib. impub. nu. 6. Glossa in l. obligamur. v. lege. ff. de Ad. & oblig. Layman lib. 3. tr. 4. cap. 13. n. 4. cum communi aliorum. Ratio est; quia dos debetur ad sustinenda onera Matrimonii, juxta dicta n. 34. Unde pater respectu filiae nubilis tenetur ad duo, nempe ad providendum ei de marito, & ad dandam Dotem, l. qui liberos. 19. ff. de Ritu nuptiarum: nam sine Dote facile despiceretur a viro.

39 Ampliatur Conclusio, etiam si filia infans & invito patre, viro tamen digno nupsisset. Sanchez loc. cit. nu. 16. Layman loc. cit. Ripa in l. 1. ff. Solutio Matrim. n. 57. Menochius de praesumpt. lib. 4. praesumpt. 189. Gutierrez 2. Pract. qq. 4. l. n. 4. cum communi. Ratio est; quia ex hoc, quod tenetur providere filiae de viro digno, & eam dotare juxta dicta, videtur filia civiliter egisse rem patris, ut proin hic quoad substantiam non possit esse contrarius, licet aegre ferre possit modum.

40 Limitatur autem conclusio primo, si filia ante Reiffenstuel Jus Can. Tom. IV.

nerē debere & equitas suggerit. Ratio subjungitur; cum enim ipse onera Matrimonii subeat, æquum est eum etiam fructus percipere. Hinc si Dos penitus nullo fructu pariat, & nisi Matrimonii oneribus serviat, Dos nulla est, ut dicitur l. si pater. 76. ff. de Jure Dotium.

50 Resp. II. Dotis jam traditæ in re mobili v. g. pecuniâ, pecoribus, dominio ad maritum absolute pertinet, ita ut de ea pro libitu disponere possit, l. Res in dotem. 42. ff. de Jure dotium; ibi: Res in dotem date si numero, pondere, & mensurâ constant, mariti periculo sunt, quia in hoc dantur, ut eas maritus ad arbitrium suum distrahât, & quandoque soluto Matrimonio ejusdem generis & qualitatis alius restituat vel ipse, vel heres ejus.

51 Resp. III. Etiam dotis in re immobili, prædium v. g. domo &c. constitentis, æstimate tamen æstimatione faciente venditionem, perfectum dominium, & dispositio libera ad maritum pertinet, textu expresso, l. quoties 5. C. de Jure Dotium. ibi: quoties res æstimate in dotem dantur, maritus dominium consecutus summe veluti debitor efficitur, si itaque non convenit, ut soluto Matrimonio restituantur, retinebit eas, si pecunia tibi offerat. Concordat l. cum dotem. 10. C. eod.

52 Resp. IV. Si datur in Dotem res immobilis inæstimate, vel æstimate quidem, sed præcisè taxationis causâ, non æstimatione faciente venditionem, dominium saltem civile habet quidem etiam maritus, eam tamen alienare, hypothecare, aut aliâs obligare, etiam cum consensu uxoris non potest, princ. Instit. quibus alienare licet, vel non: ibi: Accidit aliquando, ut, qui dominus sit, alienare non possit &c. Nam dotale prædium maritus invitâ muliere per Legem Juliam prohibetur alienare: & infra: Interdicta alienatio & obligatio (de Hypotheca in specie erat prius etiam sermo) ut neutrum eorum, neque consentientibus mulieribus procedat. Ratio additur illis verbis: Ne ex his mulieribus fragilitas in perniciem substantiæ ejus convertatur. Concordat Novell. 61. cap. 1. §. 1.

53 Limitatur tamen Conclusio in casu, quo mulier absque dolo aut metu inducta, non tantum consentiat, sed etiam juret, se non revocaturam alienationem, aut non contraventuram; tunc enim vigore juramenti appositi valet alienatio, prout expressè statuitur, & in hoc puncto Jus Civile corrigitur. Cum contingat. 28. de Jurejurando. Item valet alienatio seu obligatio talis immobilis & inæstimate Dotis, si biennio post primum datum consensum, de novo consentiat; quia repetitus consensus post lapsum tanti temporis excludit præsumptionem, quod à marito fraude, aut metu inducta sit, cit. Novell. 61. cap. 1. §. 1.

54 Queritur III. An, & quando durante Matrimonio Dos iterum repeti, aut saltem Fidejussio, vel alia cautio pro ejusdem conservatione exigi possit? Resp. I. Ordinarie loquendo, durante Matrimonio Dos nec repeti, nec etiam fidejussiones pro ejus conservatione exigi possunt. Ita clarè statuitur, l. 1. c. Ne fidejussores: ibi: Sive ex Jure, sive ex consuetudine lex proficiscitur, ut vir uxori fidejussorem servandæ doti exhibeat, tamen eam jubemus aboleri. Concordat l. 2. C. eod. ubi etiam ratio subjungitur illis verbis: Si enim credendam mulier sese, suamque dotem Patri Mariti existimavit, quare fidejussor, vel alius intercessor exigitur, ut causa perfidie in eorum connubio generetur.

55 Resp. II. Dantur nihilò mirâs casus, in quibus uxor etiam durante Matrimonio Dotem suam vel omnino repetere, aut pro ejusdem conservatione fidejussores, aut aliam sufficientem cautionem exigere potest. Probatur inductione. Nam l. Si

maritus suâ culpâ ad inopiam vergat, ita ut evidenter constet, facultates ejus non esse sufficientes ad securitatem dotis, vel certè esse periculum illius, potest mulier exigere Dotem suam, textu expresso l. Si constante. 24. princ. ff. Solutio Matrim. ita tamen, ut non maneat penes uxorem, sed vel securæ ad sequestrum, vel cuidam Mercatori, aut alii de curâ ac licetæ negotiationi, ut inde honestum lucrum haberi, & onera Matrimonii sustineri valeant, arg. c. Per vestras. 7. h. t. & ibi Barbosa n. 7. Surdus de Aliment. Tit. 9. q. 40. n. 37. Engel. h. t. n. 9. & alii.

Quod si in tali casu Dos uxoris fidejussione, aut 61 aliâ cautione sufficienter assicurari potest, tenetur mulier arbitrante Judice acceptare; prout contra communem Legistarum docet communio Theologorum, & Canonistarum, teste Haunoldo Tr. 4. cap. 5. Controv. 6. n. 299. arg. cit. c. Per vestras. 7. h. t. ubi Judici mandat Pontifex, ut in casu præfati periculi, marito sub cautione sufficienti relinquat, vel ad honestum lucrum committat mercatori, ibi: Mandamus, dotem faciatis assignari eidem, sub ea, quam potest, cautione præstare, vel saltem alicui Mercatori committi, ut de parte honesti lucri dictus vir onera Matrimonii possit sustinere. Unde Judicis, non mulieris erit eligere, an Dos fidejussione, aliave cautione, an vero committendo illam alicui alteri ad lucrum assicurari debeat.

Quando vir non ex sua culpa, dilapidatione v. g. 57 ad inopiam vergit, ad restituendum Dotem cogitur, ut bene observat Glossa in c. Per vestras. 7. h. t. v. ad inopiam, arg. Novell. 97. cap. 6. princ. ubi tunc tantum reddere Dotem cogitur maritus, si res malè gubernat; præsertim cum uxor etiam teneatur de sua Dote virum inopem sustentare, l. Mutus. 73. ad finem, ff. de Jure Dot.

II. Repetere potest uxor durante Matrimonio 58 suam Dotem, si bona mariti Fisco inferantur, arg. l. Si marito, ff. Solutio Matrim. ibi: Si maritus publico Judicio damnato, pars aliqua bonorum ejus publicetur, Fiscus creditoribus ejus satisfacere necesse habet, inter quos uxor quoque est.

III. Plures enumerantur causæ petendi Dotem 59 durante Matrimonio, l. Mutus. 73. §. 1. ff. de Jure Dot. ibi: Manente Matrimonio non perditur uxori ob has causas Dos reddi potest, ut sese, jusque alar, ut fundum idoneum emat, ut in Exilium, aut in Insulam relegato pareni præstet alimonia, aut ut egenam virum, fratrem, sororemve sustineat.

Queritur IV. Quid sint bona Paraphernalia, ac 60 Receptitia? & quid Juris de illis? Ante Responsum notandum, bona uxoris esse triplicis generis. 1. Dotalia, seu Dos, de quibus jam dictum. 2. Paraphernalia, seu Paraphernalia. & 3. Receptitia, Resp. I. Bona Paraphernalia sunt, quæ uxor præter Dotem affert marito, arg. l. Hac lege. 8. C. de Pactis convent. cum enim ex conventionē & pactis conjugum dependeat, quantum uxor pro Dote dare, & maritus acceptare velit, l. Si ego. 3. ff. de Jure Dot. sæpè contingit, quod maritus totam substantiam, quam uxor seu sponsa habet, pro Dote non accipiat, ne in simili quantitate donationem propter nuptias facere, aut Contractotem assignare debeat, juxta dicenda infra num. 63. & tamen talia uxor secum afferat, vocantur hæc bona Paraphernalia, einzugebrachtes Gut. Talia bona Paraphernalia sunt etiam ea omnia, quæ uxor post Matrimonium jam contractum acquirit, & marito affert donatione, hereditate &c. hoc ipso, quod in Dotem non computentur.

Resp. II. Etiam si uxor marito bona Paraphernalia 61 afferat, & tradat, nullatam in eorum dominium, sed nudam custodiam & administrationem ab uxoris voluntate totaliter dependentem, & ad nutum

mutum revocabilem habet; nec eorum fructus facit suos; licet eos concedente uxore in suam & uxoris, familiaraque utilitatem ac necessitatem expendere valeat. Est communis, & caret controversiâ, arg. cit. l. Hac lege. 8. & l. fin. C. de Pact. convent.

62 Resp. III. Bona Receptitia sunt eadem cum Paraphernalia, solo hoc cum discrimine, quod, quando uxor bona, quæ præter Dotem habet, vel acquirit, sibi soli, & suæ dispositioni plenè reservat, eaque administrationi, aut custodiæ viri non committit, vocentur bona uxoris Receptitia: si verò illa viri administrationi & custodiæ committit, vocentur Paraphernalia. De reliquo circa dominium eadem est ratio de Receptitiis ac Paraphernalia, potestque uxor de utrisque pro libitu disponere tam in vivis, quam mortis causâ. Nec est in hoc ulla controversiâ.

63 Queritur V. Quid sit Donatio propter nuptias, seu Contractotem Et quid Juris de ea durante Matrimonio? Resp. I. Est res mobilis, vel immobilis, quam maritus ante vel post nuptias uxori confert in securitatem Dotis allatæ; nam sicut uxor marito affert Dotem, ita maritus affert uxori Donationem propter nuptias, seu Contractotem, nostrâ vernaculâ die Wideryeg, soletque ordinariè, & debet in valore æqualis esse ipsi Doti, prout habetur Novell. 97. cap. 1. princ.

64 Resp. II. Constante Matrimonio tam administratio, quam fructus Donationis propter nuptias pertinent ad maritum Layman lib. 3. tr. 4. cap. 13. nu. 10. Haunoldo Tr. 4. cap. 5. Controv. 2. num. 346. Albas in c. fin. h. t. n. 12. Sylvester ff. Donatio. 3. q. 3. cum communi, arg. l. Ubi adhuc, junctâ Gloisâ v. Suggestionem C. de Jure Dot. ut proin præcipua hujus Donationis utilitas durante Matrimonio sit securitas Dotis, pro qua obligantur uxori bona quedam viri.

65 Resp. III. Donationem propter nuptias, seu Contractotem filio dare Jure tenetur pater, textu expresso l. fin. C. de Dotis promiss. vide supra num. 77. Et quidem juxta quantitatem Dotis à sponsa filii allata, ut bene docet Fachin, lib. 8. Controv. cap. 67. textus clarus habetur in Novell. 9. cap. 1. princ. Intellige, ubi adhuc hæc Jura de Donatione propter nuptias vigent; nam in pluribus locis sunt abrogata; in pluribus autem viget consuetudo, ut Donatio propter nuptias vel omnino non, vel non æqualis Dote datur, vel juxta pacta Nuptialia, teste Sanchez lib. 6. Disp. 1. num. 1. Layman lib. 3. Tract. 4. cap. 13. num. 10.

66 Queritur VI. Quid sit Morgengeba, seu Morgematica? Et quid Juris de ea? Resp. I. Morgematica est Donatio quedam, quam maritus facit uxori alterâ Nuptiarum die in remunerationem delibatæ virginittatis. Ita in re communis. Ejus quantitas, quia in Jure determinata non est, desumenda venit vel ex consuetudine, aut particularibus loci statutis, aut ex pactis Nuptialibus. Communiter in pactis constituitur tertiam partem Dotis, quam mulier attulit, ita, ut si dos ejusdem efficit 300. florenos, morgematica efficiat 100. florenos, ut bene advertit Schmidt in Statuta Bavar. Tit. 1. a. 1. n. 16. ubi addit, debere uxori Morgematicam, et si in pactis Dotibus nulla de ea facta fuerit mentio. In id debetur etiam uxori, quæ nullam Dotem attulit, cum, ut bene ibi advertit, pauperis puellæ virginittas æquè ac divitis æstimanda sit.

67 Viduæ, si cum qua contrahitur Matrimonium, Morgematica de Jure nulla debetur, nisi specialiter de ea fiat conventio, prout fieri posse, bene advertit Schmidt loc. cit.

68 Resp. II. Quamvis Morgematica administratio & fructus durante Matrimonio ad virum pertineant, Reiffenstuel Jus Can. Tom. IV.

dominium tamen illius ad uxorem pertinet, ita, ut post mortem mariti eidem unâ cum Dote restitui, vel si ante maritum mortuam, de illa mortis causâ disponere, vel hæredibus ab intestato relinquere valeat. Layman loc. cit. num. 11. cum communi. De hac Morgematica agit Sanchez lib. 6. Disp. 27. ubi tamen eam more Hispanorum Arrham vocat, Molina Disp. 431. Schmidt ad Statuta Bavar. cit. Tit. 1. a. 1.

Queritur VII. Quid sit Arrha? Et quid Juris 69 de ea? Resp. Ad hanc Quæstionem latè patere supra Tit. I. a. n. 176.

Queritur VIII. Quid sit Sponsalitia Largitas? 70 Et quid Juris de ea? Resp. I. Sponsalitiâ Largitatem esse eam, quam sponsi mutuo faciunt, causâ, & tacitâ conditione Matrimonii, ita, ut si Matrimonium sequatur, plenè confirmetur talis Donatio, & Donatum fiat Donatario, adè ut etiam soluto dein per mortem Matrimonii, restitui non amplius debeat. Sanchez lib. 6. Disp. 13. n. 2. Molina Tom. 2. Disp. 290. cum communi, arg. l. Si mater. 12. & l. Si à Sponso, C. de Donat. ante Nupt.

Resp. II. Si Matrimonium inter Sponsos non se- 71 quatur, idque ob culpam Donatarii, aut illius in cujus potestate est, tenetur iterum restituere Sponsalitiâ Largitatem: si verò ob culpam Donantis non sequatur Matrimonium, repetere non amplius potest Sponsalitiâ Largitatem alteri collatam. Sanchez loc. cit. n. 4. textu expresso l. Cum veterum. 15. C. de Donation. ante Nupt.

Quid si verò neutrius ipsorum culpâ, sed mor- 72 te v. g. Professione Religiosâ &c. Matrimonium secutum non est, sponsus omnem Sponsalitiâ Largitatem restituere debet: & econtrâ sponsa eandem à Sponso acceptam reddere obligatur, nisi osculuro, aut copula post Sponsalitiâ intervenerit; tunc enim sponsæ nec eas Sponsalitiâ Largitatis remanet; sponsus autem nihilo minus cuncta restituit, textu expresso l. Si à Sponso. 16. & l. Cum veterum. 15. C. de Donation. ante nupt. vide de hoc amplius Sanchez loc. cit.

Plura de Dote, Donationibus propter Nuptias, 73 Morgematicâ, Paraphernalibus, joribus, & proprietatibus eorundem vide apud Legistas, utpote ad quos hæc materia propriè spectat. Nos pergitur ad alteram, hujus Receptitæ partem Canonistis magis concernentem, videlicet de Dote post Divortium restituendâ.

§. III.

De Restitutione Dotis, & aliorum soluto Matrimonio faciendâ: ubi etiam de luero tempore Matrimonii acquisito.

S U M M A R I U M.

- 74 Si Matrimonium solvitur per Mortem naturalem mariti, Dos adventitia restituitur uxori.
- 75 Aliud est de profectitia.
- 76 Si solvitur Matrimonium per mortem uxoris, Dos adventitia restituitur proximis hæredibus uxoris.
- 77 Quid Joris tunc de profectitia? Et num. proced.
- 78 Si solvitur Matrimonium ob latens impedimentum prius ignoratum, Dos restituitur uxori.
- 79 Quid si scierit cum tali impedimento contraxerunt?
- 80 Si solvitur Matrimonium quoad Thorum ex culpa mariti, Dos restituitur uxori.
- 81 Secus, si sit Divortium ex culpa uxoris.
- 82 Præter Dotem etiam Paraphernalia, & Morgematica uxori restitui debent.

- 83 *Lucra seu Acquisita, quae durante Matrimonio uni in specie, & intuitu illius solius obvenierunt Legato v. g. Donatione & c. ei soli remanent. Et num. seq.*
- 85 *Si verò utriusque intuitu ambobus simul quid fuit collatum, inter utrumque dividendum venit.*
- 86 *Quod etiam fieri debet, si utriusque pecunia negotiatio, aut contractus solus est.*
- 87 *Lucra, quae durante Matrimonio solâ industria & labore viri acquisita sunt, ei, ejusque hæredibus sola manent.*
- 88 *Solvitur objectio. Et num. seq.*
- 89 *Inter socios lucra sunt dividenda.*
- 90 *Lucra durante Matrimonio aequali utriusque industria acquisita, aequaliter dividenda sunt.*
- 91 *Solvitur instantia.*
- 92 *Quid circa hoc habeant statuta Bavariae? Et n. seq.*
- 94 *Circa cuncta hæcenus dicta, præ omnibus pacta Dotalia, & locorum consuetudines attendi debent.*
- 95 *Propter adulterium uxor perdit Dotem, & vir contra dotem accersitque innocentem.*
- 96 *Etiam in putativo Matrimonio.*
- 97 *Casus aliquot enumerantur, in quibus pars adulterans non perdit Dotem, vel Contradotem; usque ad num. 101.*
- 101 *Si extant liberi, ad hos pertinet Dotis, vel Contradotis proprietates, & ususfructus ad innocentem conjugem.*
- 102 *Propter adulterium uxor non perdit bona Paraphernalia.*
- 103 *Solvitur instantia.*
- 104 *Quid præter dotem perdat de Jure Bavariae?*
- 105 *Dotem nondum traditam uxor adulterans tradere ante sententiam Judicis non tenetur.*
- 106 *Actu autem jam traditam vir etiam ante sententiam retinere valet.*
- 107 *Uxor adulterans Dote, & aliis jam privata, cuncta iterum acquirit, si eisdem vir reconciliatur.*
- 108 *Nisi speciale pactum aut conditio obstat.*
- 109 *Uxor ratione Dotis habet tacitam Hypothecam in omnibus bonis mariti, præceditque omnes illius creditores anteriores.*
- 110 *Etiam anteriorem Hypothecam expressam habentes.*
- 111 *Privilegium uxoris ratione Dotis ad hæredes extraneos se non extendit, bene verò ad descendentes.*
- 112 *Quinam Creditores mariti præcedant uxorem?*

74 **Q**uæritur I. An, & cui, soluto Matrimonio restitui debeat Dos? Resp. I. Si solvitur Matrimonium per mortem naturalem mariti, Dos Adventitia integra restituenda est uxori. Communis, & certa, textu expresso l. fin. C. Solutio Matrim. & l. un. §. Accedit. C. de rei uxor. act. juncto e. fin. h. t.

75 **D**icitur autem notanter Adventitia; quia Dos Profectitia reddit unâ cum dotata ad dotantem, si dotata adhuc est in potestate dotantis, cit. l. un. C. de Rei uxor. act. tenetur tamen eandem Dotem prius dotatæ iterum dare, si alteri nubit, Auth. Sed quamvis. cit. l. un. C. de rei uxor. act. Quod si verò uxor jam est emancipata, vel si alibi statutum, aut consuetudo est, ut proles statim, ac nubunt, hoc ipso emancipata habeantur, Dos est restituenda uxori per Jura num. præced. citata. Ratio est; quia per emancipationem desinit esse Profectitia, consequenter pleno jure reddit ad uxorem, ut per Jura allegata cum aliis bene observat Layman lib. 3. tr. 4. cap. 13. n. 6.

76 **R**esp. II. Si solvitur Matrimonium per mortem mulieris, nullis ex illa extantibus liberis, Adventitia

Dos restitui debet proximis hæredibus defunctæ, juxta dicta: Profectitia illi, à quo profecta est, si mulier tempore mortis nondum fuit emancipata, juxta dicta num. præced. & Jura ibi allegata, quibus accedit l. Avia. 6. C. de Jure Dot. & l. Dos à parte. 4. ff. Solutio Matrim. ibi: Dos à parte profecta, si in Matrimonio desierit mulier schismatibus, ad patrem redire debet. Concordat l. Si ab hostibus. ff. eod. caretque omni controversiâ.

Resp. III. Si moriente uxore extant ex illa liberi, Dos Adventitia illis utpote proximis hæredibus restituenda est, sicut & Profectitia; nisi mulier nondum emancipata discessisset, per Jura allegata; quamvis cum liberi ab intestato succedant parenti, exclusis ascendentibus quibuscunque, hoc tamen limitatur in bonis Profectitis, utpote quæ ad eum revertuntur, à quo profecta sunt, ut post Fachin. lib. 3. Convolv. Convolv. 71. bene advertit Layman lib. 3. tr. 4. cap. 13. n. 6. patetque ex Novell. 118. cap. 1. Verum, quia rarissime datur casus, quo uxor vel expressè non sit emancipata, vel saltem adfit statutum aut privilegium, quo per ipsum Matrimonium habetur emancipata, hinc ordinariè Dos etiam Profectitia restituenda est liberis, vel aliis proximis hæredibus uxoris.

Resp. IV. Si Matrimonium solvitur quoad vinculum viventibus adhuc contrahentibus v. g. per impedimentum dirimens, cum quo ignoranter contraherent, Dos integra restituenda est uxori putativæ, arg. c. 1. h. t. & ibi Glossa v. Licita, atque Joan. Andreas nu. 1. Abbas nu. 1. cum communi ac certa aliorum. Ratio est; quia datum ob causam (uti hic Matrimonium) causâ non secutâ revocatur, l. 1. ff. de condic. culpa data.

Dicitur autem notanter ignoranter; quia, si scienter cum impedimento dirimente aliqui contrahunt, perdunt, quidquid unus alteri dedit, Dotem nempe, & Donationem propter Nuptias, si sic utramque acquirere; nisi minor ætas excuset, & comperto errore statim ab invicem discedant, textu expresso l. Qui contra. 4. & Authent. incestas nuptias. C. de Incestis nupt.

Resp. V. Si solvitur Matrimonium solummodo quoad cohabitationem & Thorum, idque sine alterutriusvulsa culpa, puta, quia unus cum alterius consensu ingreditur Monasterium, aut suscipit Ordines, Dos integra restituenda venit uxori, arg. c. 1. h. t. & ibi Barbosa n. 5. cum communi aliorum.

Resp. VI. Si Ecclesiæ judicio sit Divortium, & separatur Matrimonium quoad Thorum ex culpa viri, Dos restituenda est uxori, arg. c. 1. h. t. si verò culpa uxoris, v. g. ob ejus adulterium, ipsa perdit Dotem, eaque accrescit viro, c. Plerumque. 4. h. t. diciturque magis infra, à n. 95.

Quæritur II. An etiam alia, & quænam præter Dotem restituenda sint uxori, vel hæredibus ejus? Resp. I. Casu, quo ob Matrimonii separationem, uxori restituenda est Dos, eidem etiam, vel hæredibus illius restitui debent Paraphernalia, & bona Receiptia, nec non Morgengabe, ut alias debetur. De Paraphernalis & Receiptiis patet, quia, cum hæc aliâ pleno Jure pertineant ad uxorem, ei, vel ejus hæredibus utique restitui debent, justitiâ exigente, ut cuius reddatur suum, per vulgaria Jura. De Morgengabe probatur; quia Donatio, quam vir facit uxori ex causa præsertim pudicitie, valet, facitque ut Donatum fiat Donatarii, arg. l. Res uxoris 24. C. h. t. atqui talis est Morgengabe juxta dicta: ergo. Unde de eadem non minus ac de Dote, & Paraphernalis restari valet uxor.

Quæritur III. Num etiam aliquid, & quid de Acquisitis, seu lucris constante Matrimonio acquiritis

fitis restitui debeat uxori, vel hæredibus ejus? Ante Responsum notandum, quæstionem hanc multum esse controversiam, & propterea certa ab incertis esse separanda.

84 **N**am certum est primò, illa bona, & lucra, quæ durante Matrimonio uni parti in specie, & intuitu illius solius obvenierunt, v. g. hæreditate, legato, Donatione &c. ei soli ut propria manere, nec inter conjuges dividendi, consequenter moriente uno, alteri dimidium restitui non debere.

85 **C**ertum e contra est secundò, illa lucra, quæ durante Matrimonio ambobus simul, ac utriusque intuitu obvenierunt, v. g. hæreditate, legato, Donatione &c. ambobus simul competere, consequenter moriente uno conjugis, alteri, ejusque hæredibus dimidium talis lucri, seu acquisitis partem restitui debere, siquidem hoc saltem, si non plus probat e. 2. h. t. ibi: Quæ ipsis, dum simul viverent, acquisita contra titulum communiter obvenierunt &c. Ad divisionem eorum compellatis, prout cum communi Canonistarum in cit. c. 2. h. t. bene observat Barbosa n. 6.

86 **C**ertum videtur tertio, etiam illa bona & lucra quæ durante Matrimonio per negotiationem, aut emptionem ex utriusque conjugis pecuniis, aut bonis factam acquisita sunt, soluto Matrimonio, aut moriente uno, alteri dimidium restituendum esse, Barbosa loc. cit. n. 6. Phring h. 1. n. 29. Abbas in c. 1. h. t. n. 3. & ibi Alexander de Nevo n. 6. patetque clare ex cit. c. 2. h. t. ibi: Vel quæ quocunque contrahens titulo communiter obvenierunt, & quæ verba saltem probant, quòd, si de communi utriusque pecuniâ, aut mediis contractus, & ex tali contractu lucrum fiat, eis communiter obvenire censetur, consequenter justè inter eos dividi debet.

Unde difficultas remanet de bonis, & lucris, quæ minus, aut utriusque diligentia, parsimonia, labore, arte, cooperatione acquisita sunt. Ad quam

87 **R**esp. I. Lucra, quæ solii viri industria & labore, studio, v. g. ejusdem officio, aut specialia arte &c. durante Matrimonio acquisita sunt, prout ordinariè fit apud Officiales, ac Ministros Principum, Advocatos, Medicos, Consiliarios, excellentes pictores &c. soli viro, ejusque hæredibus remanent, nec quidquam de eis restituendum venit uxori, aut hæredibus illius. Gutierrez lib. 2. præf. 99. 118. n. 5. Barbosa in c. 2. b. 1. n. 5. & ibi Gonzalez num. 5. Schmidt ad statuta Barbar. Tit. 1. a. 1. n. 42. cum communi aliorum universaliter docentium, cuncta lucra, constante Matrimonio, ex labore, industria, ac parsimonia acquisita ad virum pertinere. Ratio est; quia nullo nec Civili, nec Jure Canonico statutum habetur, quòd de hujusmodi bonis quidquam uxori restituatur.

88 **N**ec obstat c. 2. h. t. quia ibidem lucra acquisita dimidia pars uxori tantum de illis bonis adjudicatur, quæ conjugibus communiter, id est, titulo utrumque respiciente obveniunt; qualia utique non sunt lucra in Conclusionem allegata.

89 **N**ec dicas, conjuges se habent in se socios, qui societatem contrahunt, c. 2. de Sponsalib. juncto can. cum societas nuptiarum, cau. 27. q. 2. Inter socios autem omne lucrum dividendum venit, l. 1. & l. Sinon sunt. ff. pro socio: ergo. Resp. enim cum Barbosa loc. cit. n. 6. & communi aliorum per textus, in quibus conjuges vocantur socii, diciturque inter eos existere societatem, non intelligi civilem societatem communicativam bonorum, de qua ff. & c. Pro socio. sed de societate, quæ importat communicationem & consortium omnis vitæ, ac cohabitationis, humanique & Divini Juris arg. l. 1. ff. de Ritu Nupt.

90 **R**esp. II. Probabilissimum, omnique æquitati

consonum videtur, ut illa lucra, quæ communi & æquali, vel quasi æquali utriusque conjugis industria, diligentia, labore, seu parsimonia, durante Matrimonio acquisita sunt, inter conjuges dividantur, consequenter viro moriente uxori dimidium restituatur. Hanc Conclusionem docent omnes, qui universaliter tenent, omnia lucra, quæ constante Matrimonio acquiruntur, inter conjuges dividenda esse; prout indistinctè docet Gomez in §. Actiones. Institut. de Actionibus. num. 12. & alii apud Barbofam in cit. c. 2. h. t. num. 4. Probatur Conclusio ex cit. c. 2. h. t. ubi universaliter statuitur, cuncta lucra, quæ constante Matrimonio conjugibus communiter obveniunt, inter eos esse dividenda; sed quæ conjuges communi, æqualique, vel quasi æquali labore & industria acquirunt, communiter eidem obvenire reverà dici possunt, ergo. Accedit ratio; quia planè iniquum & injustum videtur, quòd maritus solus capiat ea lucra, quæ tam labore, industria, diligentia, & parsimonia uxoris, quàm mariti acquisita sunt: sic enim uxor esset deterioris conditionis, quàm famulus vel famula domestica, utpote qui præter vicium pro suo labore in utilitatem & lucrum domini peracto, competens salariam habent.

Nec dicas cum Adversariis c. 2. h. t. tantum loqui de locis, ubi est consuetudo, ut lucra constante Matrimonio acquisita inter conjuges dividantur. Resp. enim, hoc gratis dici; cum ex textu de loci consuetudine penitus nihil habeatur, sed potius aperte pateat, ibi esse veram dispositionem Legis.

Æquitatem hujus Conclusionis num. 90. posite agnoscetes Conditiones Juris Bavarici statuerunt, quòd, ubi conjuges communi labore & industria communem exercent negotiationem, mercatum, aut cautionariam, lucrum invicem dividere habeant, Tit. 1. a. 1. 4. & 10. ubi scribentem Schmidt omnino lege, qui a. 1. nu. 25. & seq. bene observat, quòd, quamvis a. 1. de loci divisione cum uxoriibus faciendi indistinctè loquatur, tamen intelligi non debeat de uxoriibus Illustrium, vel Officialium, Consiliariorum, Advocatorum, & illorum, qui sine concursu mulieris solii lucrum acquirunt; ut proinde dimidia pars lucri non competat; prout etiam de Jure communi esse diximus supra nu. 87. Illud etiam statuta Bavaricæ speciale habent, quòd, dum nullis extantibus liberis, uno conjugis decedente, hæredibus decedentis debetur dimidia pars lucri, hæc eis primò restituenda veniat post mortem superstitis adhuc conjugis, utpote cui ad dies vite conceditur ususfructus dimidiæ illius partis lucri hæredibus defuncti debita, dummodò interea dictis hæredibus sufficientem cautionem de acquirendâ post ejus mortem præstitâ dimidietate præstet.

Quòd si maritus ante uxorem moriatur relicti liberis, competit uxori præter Dotem, & Morgengabam etiam tanta pars, quanta cuiusviro proli de bonis relicti tribuitur cit. a. 1. Si autem uxor relicti liberis ante maritum moriatur, tradit liberis, quod ei de Jure debetur, & quod a. 3. ibidem statuitur, ubi vide, cum enim specialia loci sint, amplius de eis hic agendum non est.

Illud circa hæcenus dicta tam de Dote, quàm de Contradote, & aliis universaliter observa, quòd intelligenda veniant, seclusis specialibus pactis, & conventionibus Dotalibus, aut consuetudine, statutiisque locorum: cum enim contractibus ex conventionem accipiunt, e. Contractus. de Reg. Jur. in 6. & pacta Dotalia omni Jure licita & valida agnoscantur, arg. ut. Tit. ff. de Pæcis Dotal. & c. de Pæcis Conveni. ante omnia circa restitutionem Dotis, Contradotis,

tradotis, Morgengebæ, lucrorum &c. pacta Dotalia aspicienda, & observanda sunt, arg. cit. Tu. ff. de Pactis Dotal. &c. in h. t. ibi: Solutio Matrimonio sicut Dos ad mulierem, sive & Donatio propter Nuptias redit ad virum: nisi de consuetudine secus obtineat, vel ex pacto de lucranda Dote, vel Donatione propter Nuptias &c.

95 Queritur IV. An, quando, & quomodo propter adulterium uxor perdat Dotem, & maritus Donationem propter Nuptias, & alia? Resp. I. Certum & indubitatum est, quod, si uxor adulterium committat, amittat Dotem, hæcque accrescat viro; Et contra, si vir adulteratur, perdat etiam Contradotem, seu Donationem propter Nuptias, hæcque accrescat uxori. Ita siquidem clarè habetur c. Plerumque 4. h. t. ibi: Si mulier ob causam fornicationis & iudicio Ecclesie, aut propria voluntate à viro recesserit, nec reconciliata postea sit eidem, Dotem, vel Dotalium repetere non potest, & l. Consequi. 3. C. de Repudiis, & Novell. 117. cap. 8. & ubi etiam habetur secunda pars Conclutionis, videlicet amisso Donationis propter Nuptias, quam amittit vir ob adulterium commissum.

96 Procedit Conclusio etiam in putativo Matrimonio, dum nempe occultum inter conjuges latebat impedimentum dirimens, consanguinitatis v.g. Barbof. in cit. c. 4. h. t. Sanchez lib. 10. Disp. 8. n. 7. Clarus §. Adulterium. n. 9. & 14. Pirhing h. t. n. 37.

97 Limitatur tamen Conclusio I. Si pars innocens nocenti injuriam tacite vel expresse condonavit, vel eidem est reconciliata. Glossa in cit. c. 4. h. t. v. Reconciliata. Sanchez lib. 10. Disp. 8. Engel h. t. n. 15. cum communi, arg. à contrario, c. Plerumque. h. t. ibi: Nec reconciliata postea sit. Quo modo autem tacite, vel expresse censetur innocens nocenti injuriam condonare, aut eidem reconciliari, vide supra Tit. præced. de Divortio. à n. 73.

98 II. Si adulterium tantum est materiale, & omni vacat culpa per dicta Tit. præced. à n. 62.

99 III. Si unus conjux in alterius adulterium consensit per dicta Tit. præced. à n. 66.

100 IV. Si uterque adulterii est, vel saltem ante sententiam Judicis sit Reus, per dicta Tit. præced. à num. 80.

101 V. Si ex parte adultera extent liberi legitimi: tunc enim, quamvis nocens amittat Dotem, aut Donationem propter Nuptias, tamen ea quoad proprietatem non accrescit conjugi innocenti, sed liberis, conjuge innocente habente solum usufructum, textu expresso Novell. 117. cap. 8. §. 2. v. Si enim filios, cui conformiter interpretandum venit c. 4. h. t. ut Jura Juribus concordentur juxta c. Cum expediat. de Elect. in 6.

102 Resp. II. Uxor ob adulterium non amittit Paraphernalia bona, Abbas in c. Plerumque. 4. h. t. n. 8. Sylvester v. Adulterium q. 6. Sanchez lib. 10. Disp. 8. n. 10. Menochius de Arbitr. Jud. casu 418. in addit. ad num. 5. cum communi, & veriori aliorum, contra Glossam in cit. c. 4. h. t. v. Dotalium. Clarus §. Adulterium. n. 15. Covarruviam & alios. Ratio est; quia, cum Jura dispositio de amissione Dotis ob adulterium sit poenalis & odiosa, restringi potius quam extendi debet. Nam in penis benignior est interpretatio faciendâ c. In penis. de Reg. Jur. in 6. Atque Odia restringi, & favores convenit ampliari; c. Odia, eod. in 6.

103 Nec obstat, quod cit. c. 4. h. t. dicatur etiam Dotalium ab uxore adulterâ amitti. Resp. enim ibi per Dotalium intelligi non posse bona Paraphernalia, sed vel Donationem propter Nuptias, vel alia bona ex pactis Dotalibus aliâ uxori debita, aut alia à viro uxori donata, ut loc. cit. etiam observat Glossa.

Et hinc Jura Bavarica Tit. I a 6. statuunt, quod 104 uxor adultera præter Dotem perdat etiam Morgengebam, dimidium lucri aliâs debiti, & reliqua à viro eidem donata.

105 Resp. III. Licet Dotem marito nondum traditam uxor ob adulterium ante Judicis sententiam tradere non teneatur, sed tutâ conscientia retinere valeat, donec per sententiam compellatur, tamen potest vir eam sibi prius jam traditam, nullâ adhuc factâ sententiâ retinere, & contra uxorem exceptione adulteri uti. Primam partem Conclusiois docet Sanchez loc. cit. n. 13. Ancharanus in c. Porro de Divortio, in fine, & ibi Joan. Andreas n. 3. Pirhing h. t. n. 39. cum communi. Ratio est; quia est poena executionem externam requirens, ad quam ante sententiam Judicis in conscientia nemo obligatur: prout fufius diximus Lib. Tit. II. §. 10.

106 Alteram partem meritò docet Abbas in c. Plerumque. 4. h. t. n. 4. Sylvester v. Adulterium. q. 6. & alii, arg. cit. c. 4. h. t. ubi statuitur, quod mulier adultera sponte discedens (aut in casu notorio meritò expulsa, juxta dicta Tit. præced.) non possit amplius repetere Dotem, utque jam traditam. Ratio est; quia ubi Dos jam est tradita, poena executionem externam non amplius requirit, sed potius privationem & amissionem, seu abstinentiam & carentiam; consequenter cessat fundamentum, ob quod ante sententiam Judicis ad poenam non teneatur.

107 Resp. IV. Uxor, quæ per Judicis sententiam viro ob adulterium fuit separata, & Dote, aliisque privata, acquirit iterum curâ, si postea vir eidem iterum reconcilietur & cohabitare, nisi adiciatur reconciliatio pactum, aut conditio de Dote, & aliis non restituendis. Sanchez lib. 10. Disp. 8. n. 21. Farinacius in prax. Crimin. p. 5. q. 142. n. 68. Engel h. t. n. 15. Sylvester v. Adulterium. q. 6. & alii, arg. c. 4. h. t. à sensu contrario: ibi: Nec reconciliata postea sit. Non enim distinguit, an reconciliatio ante vel post sententiam fiat. Ratio est; quia, cum reconciliatio hæc sit favorabilis tollens poenam lateentem est interpretanda, arg. c. Odia. de Reg. Jur. in 6. consequenter intelligenda, quod ponat nocentem in totum pristinum statum.

108 Nisi adiciatur reconciliatio pactum, aut conditio de Dote, & aliis non amplius restituendis, prout notanter dicitur in Conclusionè: Hoc enim si fiat, prout fieri potest, adultera per reconciliacionem utique nihil acquirit, ut bene observat Sanchez loc. cit. n. 22. Nec obstat l. Transigeret. 18. C. de Transact. ubi prohibuitur est, super adulterio transigere. Resp. enim, ibi tantum prohiberi, ne uxor transigens promittat viro aliquid, quod ad eum aliâs non pertinet; cujusmodi non est Dos post sententiam jam latam, utpote viro pleno jure aliâs jam competens.

109 Queritur V. Qualia privilegia, & favores habeat uxor ratione Dotis, & aliorum? Resp. I. Uxor ratione Dotis habet tacitam, eamque valde privilegiatam Hypothecam in omnibus bonis mariti, ita ut præferatur omnibus aliis creditoribus. Unanimis & certa, textu expresso l. In rebus 30. C. de Jure Dotalium. ibi: In rebus Dotalibus sive mobilibus, sive immobilibus, sive se moventibus (si tamen extent) sive estimatæ sive inestimatæ sint, mulierem in his vindicandis, omnem habere post dissolutum Matrimonium prærogativam, jubemus, & neminem creditorum mariti, qui anteriores sunt, posse sibi priorem causam in his per Hypothecam vindicare, & l. Assiduis. 12. §. 1. C. Qui potiores pign. ibi: Sancimus ex stipulato actionem, quam mulieribus jam pro instituenda dedimus, cuique etiam tacitam donavimus inesse hypothecam, potiora jura contra omnes habere credentes, licet anteriores sint temporis privilegio vallati &c. licet res Dotalis, vel en his aliâ come

comparata non extent, sed quocunque modo vel dispositive, vel consumptæ sint.

110 Resp. II. Quamvis Lib. III. Tit. XXIII. de Solutionibus, n. 86. cum Gallo tanquam probabile docuerimus, creditores anteriores m expressâ hypothecâ habentes præferri uxori, tamen æquero-babile, imò probabilius reputamus, quod uxor pro Dote sua recuperanda vi tacite suæ hypothecæ præferatur omnibus anterioribus creditoribus mariti etiam expressam hypothecam habentibus. Fachin. lib. 10. Controv. contror. 36. Mynsing. Cent. 4. Observ. 13. Haunoldus Tr. 4. cap. 5. Controv. 10. n. 440. & alii contra Gallum lib. 2. Observat. 25. n. 10. Covarruviam p. 1. cap. 9. n. 1. & seqq. Jafonem, Zafian, & alios. Probatur Conclusio ex Legibus num. præced. allegatis: hæ enim, siam universali-ter dicunt uxorem præferri omnibus creditoribus, anteriorem hypothecam habentibus, non distinguunt inter hypothecam tacitam, vel expressam, de qualibet intelligendæ sunt. Tum quia Lex universaliter loquens, universaliter est intelligenda, arg. c. 22. de Privileg. & ubi Jus non distinguit, nec nos distinguere debemus. arg. l. de Pretio. ff. de Public. in re. ult. Tum, quia, si Legislator voluisset aliorum creditorum hypothecas expressas excipere, id exprimeret debuisset, cum facile potuisset, arg. l. un. §. 11. v. Sin autem deficiente. C. de Caduc. toll. Tum etiam, quia aliâs Leges num. præced. citatæ facile eliderentur, nullumque, vel certè rarè haberent effectum; eò quod in paucissimis casibus tacita hypotheca fit concessa.

111 Objectiones contra Conclusionem hanc vide apud Patronos ejusdem, quia est merè Civilis.

112 Resp. III. Privilegium præstationis uxori pro repetenda Dote competens, non transit ad hæredes extraneos, bene verò ad descendentes. Prima pars de hæredibus extraneis caret controversiâ, textu expresso l. un. C. de Privileg. Dotis, ibi: Scire debet, privilegium Dotis, quo mulieres utuntur in actione pro Dote, ad hæredem non transire, quod saltem de extraneis hæredibus intelligi debet. Altera pars una cum prima patet ex Novell. 91. in Præfat. ibi: Non enim aliâs dedimus dudum, & damus hoc privilegium, ut hæredibus aut creditoribus, sed solis filiis.

113 Limitantur tamen ultimæ hæ Conclusiones in sumptibus funerum, & iis, quæ ad hos reducuntur, ut Medici, Chirurgi, Pharmacopœi in ultima infirmitate, utpote qui omnes uxori præferuntur juxta dicta Lib. III. Tit. XXIII. à n. 81. ubi vide.

TITULUS XXI.

De secundis Nuptiis.

1 Ratio continuationis. Secunda Nuptiæ quid?

Solent per sæpè primas Nuptias secundæ sequi. Hinc postquam de Matrimonio primo, & illud concomitantibus hæc usque dictum, meritò sequitur etiam Titulus de Secundis Nuptiis, id est sequentibus nuptiis, seu primum Matrimonium. Per secundæ Nuptias siquidem intelliguntur non tantum illæ, quæ primas immediate sequuntur, sed etiam tertie, quartæ, & deinceps, l. Si quis prioris. 8. §. 1. & 2. C. h. t.

§. I.

De Valore, & Honestate secundarum Nuptiarum, & prævia notitiâ de morte conjugis necessariò requisita.

SUMMARIUM.

- 2 Secunda Nuptiæ licite, & validæ sunt. Et n. eq.
- 4 Etiam ante finitum annum lucifus.
- 5 De penis secundò nubentium. Remissivè.
- 6 Leges Civiles quoad tempus secundarum Nuptiarum non amplius attenduntur.
- 7 Ad secundas Nuptias licite celebrandas non sufficit opinio de morte conjugis, aut diuturna ejus absentia, sed requiritur certitudo moralis.
- 8 Quæ tamen sufficit.
- 9 Quæ quando adfit, arbitrio Judicis relinquatur.
- 10 Habetur autem certitudo moralis, quando adest attestatio Parochi.
- 11 Vel alia publica, vel authentica.
- 12 Aut duo idonei testes de visu.
- 13 Qualis esse potest etiam consanguineus defuncti, non item conjux.
- 14 Item si cum uno teste de visu, aut cum fama, aut cum testibus de auditu concurrunt conjecturæ.
- 15 Unus tamen testis sine conjecturis non sufficit ad probandam mortem conjugis. Et duobus n. seqq.
- 18 Sic ut nec solo fama.
- 19 Quando adest certitudo moralis, potest Parochus absque præfatu Ordinerii assistere secundis Nuptiis.
- 20 Secus est, quando de tali certitudine dubitatur.
- 21 In tali dubio nec isf: Ordinarius dare potest licentiam copulandi. Subinde exigitur juramentum, & quando? Ibid.
- 22 Quistante dubio de morte conjugis Matrimonium cum alio habente bonam fidem contrahit, tenetur huic reddere debitum, petere tamen non potest: Estque Matrimonium validum, si verè mortuus est conjux. Et num. seq.
- 24 Si deponat dubium, etiam petere potest.
- 25 Si ambo conjuges in dubio de morte conjugis contrahunt, nec petere, nec reddere possunt debitum.
- 26 Nisi dubium prudenter deponat.
- 27 Quid faciendum conjugibus, si post Matrimonium supervenit dubium? Et num. seqq. usque ad n. 30.
- 30 Si post Matrimonium etiam optimâ fide contractum, habetur moraliter certa notitiâ de vita prioris conjugis, illud est omni carnali commercio abstinentium, & eidem adherendum est.

Queritur I. An licitæ, & validæ sint secundæ, tertie, quartæ, & posteriores Nuptiæ? Resp. Affirmativè. Ita hodie unanimis & certa. Patetque ex S. Scriptura, & utroque Jure. Sic enim inprimis t. ad Corinth. 7. aperte dicitur: Si dormierit vir ejus, liberata est, cui vult, nubat, tantum in Domino, & t. Timoth. 5. vult Apollolus viduas juniores nubere. Dein can. Apertian. 11. cau. 31. q. 1. dicitur: Ego nunc libera voce proclamo, non damnari in Ecclesiâ bigamiam, imò nec trigamiam, ita licere quinto, & sexto, & ultra, quomodo & secundo marito nubere. Concordant sequentes Canones ead. cau. & q. supponiturque tot. h. t. Conceduntur etiam à Jure Civili saltem post annum tot. Tit. C. eod.